

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 1, Liber 2: De bono et honesto virtutibus et contrariis

Commented [c1]: fol.15ra

De bono et malo: Rubrica 1

Iob hystoricus capitulo 28. Recedere a malo est intelligentia.

In genesi capitulo 8. Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.

Amos propheta capitulo 5. Odite malum et diligite bonum.

Esaias propheta capitulo 5. Uhe qui dicitis malum bonum et bonum malum.

Plato in menone. Non vult mala quispiam. Nullus vult mala.

Aristotelis ethicorum libro i. capitulo i. in principio. Omnis ars et omnis doctrina similiter autem et actus et electio bonum quoddam appetere videtur. Ideo bene annunciauerunt bonum quod omnia appetunt. Multis contingunt detrimenta ex bonis: iam enim quidam perierunt propter diuitias: alii vero propter fortitudinem. Capitulo 2. Omnis cognitio et electio bonum aliquod desiderat. Bonum et felicitatem non irrationabiliter videntur ex his que huius vite sunt existimare. Libro 2. capitulo 5. Malum infiniti est. Libro 4. capitulo 4. Malum seipsum destruit. Libro 7. capitulo 15. et finali. Malo bonum contrarium est. Libro 9. capitulo 4. Unusquisque sibi ipsi vult bona. Libro 10. et finali capitulo 2. Et in prauis est aliquod naturale bonum. Idem magnorum moralium libro i. capitulo i. Nulla neque scientia neque potentia est causa mali. In vno quoque entium bonum aut optimum est quod propter sui naturam est appetibile: aut quo alia participantia bona sunt. Bonorum hic quidem in anima: puta virtus: hic autem in corpore: puta sanitas et pulchritudo: alia vero exterius diuitie principatus honor vel si quid aliud talium. Idem rethoricorum libro i. capitulo 8. Bonum est quodcumque sui gratia est eligibile: et cuius gratia aliud eligimus: et quod omnia appetunt. Capitulo 11. Bonum dicimus quod ipsum sui gratia et non alterius eligibile est: et quod omnia appetunt. Bonum est aut delectabile aut quod secundum se eligibile. Libro 2. capitulo 16. Plura eorum que fiunt mala sunt. Idem politicorum libro i. capitulo i. Eius quod videtur boni gratia omnia operantur omnes. Capitulo 3. Quod efficitur a melioribus: melius opus est. Idem topicorum. Omnia appetunt bonum. Libro 6. Bonum est malo contrarium.

Commented [c2]: fol.15rb

Tullius rethoricis artis noue libro 2. capitulo 6. Omnium malorum stultitia est mater atque materies. Idem tusculanarum questionum libro 3. Insipientia nullum maius malum est. Libro 4. Natura omnes ea que bona videntur sequuntur fugiuntque contraria. Idem de fine bonorum et malorum libro 5. et finali. Confitendum est id esse summum bonum quod certe vniuersum sua sponte ipsum expeti et propter se necesse est. Idem paradoxorum distinctione i. Quod rectum et

honestum et cum virtute est id solum oppinor bonum. Idem de legibus libro i. Quod laudabile bonum est in se habet quod laudetur necesse est: ipsum enim bonum non est opinionibus sed natura.

Ovidius de arte amandi libro 3. et finali. Pluraque sunt semper deteriora bonis. Idem de tristibus libro 2. epistola vnica. Nil prodest quod non ledere possit idem.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 8. capitulo i. Bonum omne diuinum est. Libro 15. capitulo i. Sapientia perfectum bonum est mentis humane. Libro 20. et finali capitulo i. Bonum est quod ad se impetum animi secundum naturam mouet. Idem de consolatione ad paulinum. Non sentire mala sua non est hominis: et non ferre non est viri. Idem de naturalibus questionibus libro 5. Nullum malum si est effugio est.

Cecilius firmianus de beata vita libro 3. Bonorum matura in arduo posita est: malorum in precipitio. Libro 4. Est pene supra humanum modum ne in cognitionem quidem admittere quod sit vel factum malum vel improbum dictum. Libro 7. et finali. Deus non excludit malum vt ratio virtutis constare posset.

Augustinus in epigrammata prosperi 75. epigrama. Non sufficit abstinere a malo nisi fiat quod bonum est. Nulla substantia iniquitas est: et peccatum non est natura: sed vitium nature appetentis id quod non est sui ordinis.

Boetius de consolatione libro 3. capitulo 19. Omnium expetendorum summa cardo atque causa est bonum: quod enim neque re neque similitudine vllum in se retinet bonum: id expeti nullo modo potest. Libro 4. capitulo 3. Omnes homines boni ac pariter mali indiscreta intentione ad bonum peruenire nituntur. Capitulo 7. Bonum est omne quod iustum est: contraque quod iniustum est malum esse liquet. Capitulo 11. Et si nobis fatalem ordinem minime considerare valentibus confusa omnia conturbataque videantur: nihilominus tamen suus modus ad bonum dirigens cuncta disponit. Nihil est quod mali causa ne etiam ab ipsis quidem improbis fiat: quos bonum querentes prauus error euertit. Idem topicorum libro 2. Mali notitia deesse non potest bono: virtus enim se diligit: aspernaturque contraria: ne vitare vitium nisi cognitum queat. Idem de hebdomadibus. Omnium rerum ipsum esse bonum est. Bonum esse essentia. Iustum vero esse actum respicit. Bona omnia sunt etiam non iusta.

Gualterius de castellione libro 3. circa medium. Omnia cum quodam veniunt incommoda fructu.

Auctor libelli de moribus medicorum capitulo i. Omnia scire decet: cuncta patrare nocet. Scire malum quod nitet idem res conueniens est. Scire bonum discat quilibet id quod amat.

Commented [c3]: fol.15va

De honesto et licito et inhonesto seu turpi: Rubrica 2

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 3. Honestum est quodcunque propter se eligibile existens laudabile est: aut quodcunque bonum existens delectabile est quia bonum.

Terentius in euico capitulo 23. Quis homo pro mecho vnquam vidit in domo meretricis prendi quemque? In hautontumerumenon capitulo 12. Non licet hominem sepe esse ita vult si res non sinit.

Tullius de fine bonorum et malorum libro 2. Honestum intelligimus quod tale est vt detracta omni vtilitate sine vllis premiis fructibus ne ipsum possit iure laudari.

Ouidius de arte amandi libro 3. et finali. Multa viros nescire decet. Protinus irrupit vene peioris in eum. Omne nefas: fugere pudor: verumque fidesque. In quorum subiere locum fraudesque dolique. Insidieque et vis: et amor sceleratus habendi. Uiuatur ex rapto nisi hospes ab hospite tutus Non socer a genero fratrum quoque gratia rara est. Imminet exitio vir coniugis: ipsa mariti. Lurida terribiles miscent aconita nouerce. Filius ante diem patrios inquit in annos. Uicta iacet pietas: et virgo cedere madentes. Idem de ponto libro 2. epistola 3. Curat quid expediat prius est quam quid sit honestum. Et cum fortuna statque caditque fides. Nec facile inuenies multis in milibus vnum. Uirtutem precii qui potest esse sui. Ipse decor recti facti si premia desunt. Non mouet et gratis penitet esse probum. Nil nisi quid prodest carum est. En detrahe menti. Spem fructus auide nemo petendus erit. At redditus iam quisque suos amat: et sibi quid sit. Utile sollicitis computat articulis. Sponte sua probitas officiumque viuat.

Commented [c4]: fol.15vb

Seneca tragediarum in octauia capitulo 10. Id facere laus est quod decet non quod licet. Idem in epistolis ad lucillum libro 2. capitulo 5. Honestum enim vile est cui corpus nimis carum est.

Ualerius maximus libro 2. titulo de institutis antiquis. Ariopagus vbi quid quisque atteniensium agent aut quomodo questu sustentaretur diligentissime inquirere solebat: vt homines honestatem vite rationem memores reddituram esse sequerentur.

Lex digestorum titulo de conditionibus institutionum l. filius. Que facta ledunt pietatem existimationem verecundiam iram et vt generaliter dixerim que contra bonos mores sunt nec facere nos posse credendum est. Titulo de regulis iuris l. infrascripta. Non omne quod licet honestum est.

De virtutibus et vitiis: Rubrica 3

Plato in menone. Uirtus est potentia acquirendi bona. Bene ais: bona sufficientem esse vindicare virtutem. Uirtute sumus boni. Diuina sors nobis apparet mens virtus quibus inest.

Isocrates in exhortationibus capitulo i. Uirtute nulla possessio preciosior est nec securior. Questus virtutis quibus quidem pueritia concreuerat in animalis solus equidem consenescit:

Commented [c5]: fol.16ra

potior autem opibus vtilior vero claritate generis impossibilia quidem animalis possibilia statuens: metuenda vero populo audacter supportans: et inerciam quidem crimen: solerciam vero laudem existimans.

Aristoteles magnorum moralium libro i. capitulo i. Studiosum esse: est virtutem habere. Fiunt virtutes omnes in rationali parte anime. In anima est virtus. Uirtus in vnoquoque hic facit cuius est virtus. Per virtutem anime bene viuimus. Bene viuere est in viuendo secundum virtutem. Hoc est finis felicitatis optimus. Capitulo 5. Non est accipere virtutem et malitiam absque tristitia et delectatione: est virtus ergo circa delectationes et tristitias. Capitulo 11. Uirtus medietas videtur esse passionum. Capitulo 14. In virtute quidem erit laus in malitia autem vituperium. Uidetur secundum virtutem et malitiam esse voluntarium. Capitulo 29. Nihil melius est virtute. Capitulo 39. Omnis virtus boni et in bonum est. Libro 2. capitulo 7. Non contrariatur virtus virtuti. Apta nata est virtus obedire rationi. Capitulo 8. Uirtus et malitia ipse sunt in conuenientes. Capitulo 28. Uirtus est circa delectationem et tristitiam. Capitulo 43. Tunc dicimus esse virtutem quando ratio bene disposita est. Passionibus bene habentibus propriam virtutem commensuratam et passiones rationem habentes. Ita enim disposita consonabunt adinuicem. Idem rethoricorum libro. i. capitulo 13. Uirtus bonum existens laudabile est. Uirtus est potentia acquisitiua bonorum et seruatiua: et potentia bene factiua multorum et magnorum et omnium circa omnia. Idem politicorum libro 7. capitulo i. Nullum bonum opus neque viri: neque ciuitatis est sine virtute et prudentia. Capitulo 6. Felicitatem sine virtute impossibile est existere. Idem topicorum libro. 2. Magis est fugiendum quod magis impedit virtutes.

Sallustius in iugurtino. Dux atque imperator vite mortalium animus est. Qui vt ad gloriam via virtutis crassatur abunde pollens potensque et clarus est.

Oratius in epistolis libro i. capitulo i. Uirtus est vitium fugere. Epistola 17. Oderunt peccare boni virtutis amore. Epistola 19. Uirtus est medium vitiorum vtrinque reductum. In sermonibus idem 3. secundum: Nam vitiis nemo sine nascitur optimus ille est Qui minus vrgetur.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 9. Uirtus est animi habitus nature modo rationi consentaneus. Uirtus habet partes quattuor: prudentiam: iustitiam: fortitudinem: temperantiam. Unicuique virtuti finitimum vitium reperitur: aut certo iam nomine appellatum vt audacia que fidentie: pertinacia que perseuerantia finitiua est: superstitio que religioni propinqua est: aut sine villo certo nomine. Idem rethoricorum artis noue libro 5. capitulo 10. Difficile est primum virtutes reuereri: qui semper fortuna secunda sit vsus. Omnes bene viuendi rationes in virtute sunt collocande. Sola virtus in sua potestate est. capitulo 14. Sine multum potest obesse fortuna: qui sibi firmitus in virtute quam vitio presidium collocauit. Idem de officiis libro i. capitulo 8. Uirtutis laus omnis in actione consistit. Idem paradoxorum: distinctione 3. Prauitatis animi recte vitia dicuntur. Idem de fine bonorum et malorum libro 4. Rationis perfectio est virtus. Idem tusculanarum questionum libro 3. Sunt ingeniis nostris semina innata virtutum: que si adolescere liceret ipsa nos ad beatam vitam perducerent natura. Animus eger vt ait ennius semper errat neque pati neque perpeti potest: cupere vnquam desinit. Uirtutes omnes inter se nexae et iugate

Commented [c6]: fol.16rb

sunt. Idem de natura deorum libro i. Nihil amabilius est virtute quam qui adeptus fuerit vbicumque erit gentium a nobis diligetur.

Ovidius de remedio amoris libro i. Terra salutaris herbas eademque nocentes. Nutrit et vrtice proxima sepe rosa est Utile propositum est suas extinguere flammam Nec seruum vitii pectus habere tuum. Ex mala sunt vicina bonis errore sub illo. Pro vitio virtus: crimina sepe tulit. Idem methamorphesum libro 14. In via virtutis nulla est via. Idem de puncto libro 2. capitulo 2. Tendit in ardua virtus.

Quintilianus declamationum i. declamazione. Vitii nostris in animum per oculos via est.

Paulus apostolus epistola 2. ad corinthios capitulo 13. Uirtus in infirmitate perficitur.

Commented [c7]: fol.16va

Seneca epistolarum ad lucillum libro 9. epistola 3. Vitia nobis sub virtutum nomine reperiunt. Libro 4. capitulo i. Uirtus non aliud quam recta ratio est. Libro 15. capitulo 3. Non dat natura virtutem: ars est bonum fieri. Uirtus non contingit animo nisi instituto et docto: et ad summum assidua exercitatione perducto. Libro 16. capitulo 2. Erras si existimas nobiscum vitia nasci superueniunt ingesta sunt. Libro 18. capitulo 4. Si velis vitii exui: longe a vitiorum exemplis recedendum est. Libro 19. epistola 10. Vitia nostra que amamus defendimus: et malumus excusare illa quam excutere. Libro 20. et finali epistola. 3. Sunt virtutibus vitia confinia: et perditis quoque ac turpibus recti similitudo est. capitulo 5. Omnia vitia contra naturam pugnant. Idem de ira libro 2. Cum virtutibus vitia non cedunt. Idem de tranquillitate animi. Serpunt vitia et in proximum quemquam transiliunt et in contactu nocent. Idem de beata vita: Uirtus malam vitam non admittit. In virtute est posita felicitas. Idem de consolatione ad paulinum: Uirtus neminem dedignatur: qui illa dignum se iudicat. Idem tragediarum in medea capitulo 3. Nunquam potest non esse virtuti locus.

Lucanus libro i. Mores rebus cessare secundis. Libro 8. Uirtus et summa potestas non coeunt.

Ualerius maximus libro 5. titulo de pietate. Doctrina proficit vt polliciora: non vt meliora fiant ingenia: quomodo quidem solida virtus nascitur magis quam fingatur. Libro 9. titulo i. Nullum vitium ibi finitur vbi incipit.

Iuuenalis libro 5. et finali satura 2. Fallit enim vitium specie virtutis et verba. Utere virtute.

Martialis cocus libro undique suscepto capitulo 2. Uirtus absque modo nomen habet vitii. Credis opes solas te posse carine beare. Uirtus est que te sola beare potest.

Ambrosius de officiis libro 2. capitulo 5. Certum est solum et summum bonum esse virtutem eamque habundare solam ad fructum beate vite.

Cecilius firmianus de beata vita libro i. Uirtutibus amaritudo permixta est. Vitia vero voluptate condita sunt. Irrumpunt vitia cum virtutibus quia mala bonis adherent et in animis potiora sunt. Libro 3. Scientia parum est ad bonum suscipiendum malumque fugiendum nisi accidat virtus.

Commented [c8]: fol.16vb

Virtus cum scientia coniuncta sapientia est. Libro 4. Animus incultus vitiis sua sponte inualescentibus velut spinis obducitur. Sed cum verus cultor accesserit statim cedentibus vitiis fruges virtutum oriuntur. Libro 6. Natura hominum procliuis in vitia videri vult non modo cum venia sed etiam cum ratione peccare.

Boetius de consolatione libro 4. capitulo 5. Euenit vt quem transformatum vitiis videas hominem existimare non possis. Auaritia feruet alienarum opus violenter ereptor: lupi similem dixeris: ferox atque inquietus linguam litigiis exercet cani comparabis. Insidiator occultus subripuisse fraudibus gaudet vulpeculis exequetur. Ire intemperans fremit: leonis animum gestare credatur. Pavidus atque frugas non metuenda formidat. Ceruis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet. Asinum viuut: leuis atque inconstans studia permutat nihil ab auibus differt. Fedis immundisque libidinibus immergitur: sordide suis voluptatibus detinetur. Ita fit vt qui probitate deserta homo esse desierit: cum in diuina conditione transire non possit vertatur in beluam. Capitulo 7. Uitiositas est quasi quidam morbus animorum. Capitulo 11. Quid aliud animorum salus videtur esse quam probitas: quid aliud egritudo quam vitia.

Boetius diuisionum. Habitus mentis optimus virtus est.

Baldo 4. fabula: Nec ope lorice nec egebit acumine fice. More nec hostili cuiusque iuuamine pili. Solo virtutum quem constat robore tutum.

Gualterius de castellione libro i. Quem virtus extollit habet quod preferat auro.

Heinricus samariensis libro i. parte 2. Migrat in exilium virtus vitiumque triumphat. Regnat et in populis grande tribunal habet.

Richardus iudex venusinus. Diuitiis probitas virtus preponitur auro. Non est mendicus qui probitate viget. Est virtus vitium posse fugare nocens.

Belinus in speculo vite parte i. extra. Nascitur ex vitio vitium: et de crimine crimen.

Commented [c9]: fol.17ra

De felicitate et beatitudine et summo bono: Rubrica 4

Psalmista psalmo i. Beatus vir qui in cathedra pestilentie non sedit. 157. psalmo. Beatus qui tenebit.

Plato in menone. Est qui velit miser et infelix esse: ne vnquam mihi videtur.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 2. scilicet de thalere. Thales qui primus sapiens fuit nominatus secundum quem et septem sapientes vocati sunt: interrogatus quis felix. ait: Qui sanus quidem corpore: anima vero copiosus: natura autem docilis.

Aristoteles ethicorum libro i. capitulo 3. Simpliciter utique perfectum bonum est: quod secundum se ipsum eligibile semper: et nunquam propter aliud tale itaque felicitas esse videtur. Perfectum bonum per se sufficiens esse videtur. Perfectum quid videtur et per se sufficiens felicitas: operatorum existens finis. Capitulo 4. Optimum et pulcherrimum et delectabilis summum est felicitas. Non omnino felix est qui specie turpissimus est: vel ignobilis vel solitarius et sine prole. Capitulo 5. Quid prohibet dicere felicem secundum virtutem perfectam operantem: et exterioribus bonis sufficienter ditatum. Capitulo 8. Felicitas est operatio quedam secundum virtutem perfectam. Libro 7. capitulo 14. Indiget felix his que in corpore bonis et his exterius: et fortuna ut non impediat hoc. Libro 9. capitulo 9. Felix esse est in viuere et operari. Libro 10. et finali capitulo 7. Videtur felix vita secundum virtutem esse. Felicitas est secundum virtutem operatio. Uita felix est secundum virtutem operantis. Uidetur et anaxagore non diuitem neque potentem existimare felicem esse. Erit sapiens maxime felix. Idem magnorum moralium libro i. capitulo i. Felicitate adueniente nullo alio indigemus. Felicitatem dicimus esse bene operari et bene viuere. Bene operari et bene viuere nihil aliud quam felicitatem dicimus: vti ergo felicitate et felicem esse: bene viuere est. In usu quidem et actu est felicitas. Felicitas est in viuendo secundum virtutem. Optimum bonum est felicitas: et hic finis actu. Uiuentes secundum virtutes felices erimus: et habebimus perfectum bonum finis. Capitulo 2. Perfecte virtutis actus est felicitas. Libro 2. capitulo 28. Felicitatem terminauimus et diximus esse virtutis actum in vita perfecta. Non est felicitas absque delectatione. Capitulo 45. Absque exterioribus bonis quorum fortuna est domina non contingit felicem esse. Idem rethorice libro 2. capitulo 21. Non est vir qui in omnibus felicitet. Idem politicorum libro 7. capitulo 6. Felicitatem sine virtute impossibile est existere. Libro 8. capitulo 2. Oportet haberi non solum quod bonum est sed et delectationem: felicitari enim ex ambobus his est. Idem de bona fortuna capitulo i. Sine exterioribus bonis quorum fortuna domina est: non contingit felicem esse. Felicitas non est sine exterioribus bonis.

Virgilius in georgicis: Felix qui potuit rerum cognoscere causas. Atque metus omnes: et inexorabile fatum. Subiecti pedibus strepitum que acherontis auari.

Tullius de fine bonorum et malorum libro 2. Omnis summa philosophie ad beate viuendum refertur. Sapiens semper beatus est. Libro 3. Illud solum beatum est quod honestum est: id quod est beate viuere id est cum virtute viuere. Libro 5. et finali. Consequens est beatam vitam virtute esse contentam. Beata vita virtute conficitur. Uirtus ad beate viuendum seipsa contenta est.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 2. epistola i. Non est beatus qui se esse non putat. Libro 8. capitulo i. Apud epicurum duo bona sunt: ex quibus summum bonum componitur: vt corpus sine dolore sit: animus sine turbatione. Idem de beata vita. Beatus est is cui omne habitum rerum suarum ratio commendat. Idem de remediis fortune capitulo 21. et finali. Felix est non qui aliis videtur sed qui sibi. Idem in prouerbiis. Nulla est tam bona fortuna de qua nihil possit queri.

Ualerius maximus libro 7. titulo de felicitate. Quintum metellum nasci in vrbe terrarum precipe voluit fortuna: parentes ei nobilissimos dedit: adiecit animi rarissimas dotes: et corporis vires vt sufficere laboribus possent: vxorem pudicitia et fecunditate conspicuam: consulatus decus:

Commented [c10]: fol.17rb

imperatoriam potestatem speciosissimi triumphi pretextum largita est: fecit ut eodem tempore tres filios consulares: unum etiam censorem triumphalem: et quartum pretorium videret. Utque tres filias nuptui daret: earumque sobolem finu suo exciperet: hunc vite actum eius consentaneus finis excepit. Nam ultimo senectutis spacio defunctum leuique genere mortis inter oscula complexusque charissimorum pignorum extinctum filii et generi humeris suis per urbem lacum rego imposuerunt. Titulo Sapienter dicat aut facta. Salon neminem dum adhuc viueret beatum dici debere arbitrabatur: quod ad vltimum vsque fati diem ancipiti fortune subiecti essemus.

Commented [c11]: fol.17va

Plinius de naturali hystoria libro 7. capitulo 44. Nemo mortalium est felix: abunde igitur atque indulgenter fortuna decidit eum qui vere dici non infelix potest. Capitulo 48. Nulla est profecto solida felicitas.

Iuuenalis libro i. satura 4. Nemo malus felix.

Augustinus in epigrammata Prosperi epigramma 102. Nihil est infelicius felicitate peccantium: qua penalis nutritur impunitas: et mala voluntas corroboratur: velut hostis interior.

Macrobius de somno scipionis. Sole faciunt virtutes beatum: nullaque alia quisquam via hoc nomen adipiscitur.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 7. Quis est tam composite felicitatis ut non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur. Quid o mortales extra vos petitis intra vos positam felicitatem: error vos inscitiae confundit. Ostendam breuiter tibi cardinem summe felicitatis: est ne aliquid tibi teipso preciosius? Nihil inquires. Igitur si tui composueris possidebis quod nec tu admittere vnquam velis: nec fortuna possit auferre. Beatitudo est summum bonum nature: ratione degentis. Non est summum bonum quod eripi vlllo modo potest. Libro 3. capitulo 3. Omnis mortalium cura quam multiplicium studiorum labor exercet diuerso quidem calle procedit: sed ad unum tamen beatitudinis finem nititur peruenire. Id autem est bonum quo adepto nihil vltius desiderare queat: quicquid est omnium summum bonorum cunctaque intra se bona continens: cui siquid abforet summum esse non posset. Liqueat esse beatitudinem statum bonorum omnium congregatione perfectum. Est mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas sed ad falsa deuius error adducit. Quod quisque pre ceteris petit id summum bonum esse iudicat. Summum bonum beatitudinem esse diffiniuimus. Non est aliud quod eque perficere beatitudinem possit quam copiosus bonorum omnium status: nec alieni indigens: sed sibi ipse sufficiens. Ad verum bonum naturalis ducit intentio: et ab eodem multiplex error abducit. Capitulo 17. Ea vera est et perfecta felicitas que sufficientem potentem reuerendum celebrem letumque perficiat hominem. Capitulo 24. Felix qui potuit boni fontem visere lucidum. Libro 4. capitulo 5. Cum ipsum bonum beatitudo sit: bonos omnes eo ipso quod boni sint fieri beatos liquet.

Commented [c12]: fol.17vb

De tranquillitate et bona vita et non bona: Rubrica 5

Salomon in prouerbiis capitulo 17. Animus gaudens etatem floridam facit: spiritus tristis exiccat ossa. Idem in ecclesiaste capitulo 3. Cognoui quod non esset melius nisi letari et facere bene in vita sua. Capitulo 4. Melius est pugillus cum requie quam plena vtraque manus cum labore et

afflictione animi. Capitulo 5. Hoc mihi visum est bonum vt comedat quis et bibat: et fruatur letitia ex labore suo quo laborauit ipse sub sole.

Socrates in exhortationibus capitulo 2. ad finem. Maxime viuere tenta tutius.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 29. Uita nequam hospitandi de domo in domum. Capitulo 30. Non est census super censum salutis corporis: et non oblectatio super cordis gaudium. Iocunditas cordis: hec est vita hominis. Exultatio viri est longeuitas. Ante tempus senectam adducit cogitatus.

Virgilius in georgicis. O fortunatos nimium sua si bona norint Agricolas: quibus ipsa procul discordibus armis. Fundit humo facilem victum iustississima tellus.

Commented [c13]: fol.18ra

Oratius in odibus libro. 2. capitulo 10. Sepius ventis agitur ingens. Pinus et celse grauiore casu. Decidunt turres feriuntque summos. Fulmina montes. Capitulo 16. Letus in presens animus quod ultra est. Oderit curare: et amara leto temperet risu. Capitulo 58. Non possidentem multa vocabis. Recte beatum rectius occupat. Nomen beati qui et eorum Muneribus sapienter vti Durumque callet pauperiem pati. Peiusque leto flagitium timet. Idem in terpodo libro i. capitulo 2. Beatus ille qui procul negociis Ut prisca gens mortalium: Paterna rura bobus exercet suis. Solutus omni fenori. Nec excitatur classico miles truci. Nec horret iratum mare: Forumque vitat et superba ciuium Potentiorum limina. Idem in epistolis libro 2. capitulo 3. et finali. Scriptorum quorum omnis amat nemus: et fugit vrbes. Idem in sermonibus libro 2. sermone 6. Dum licet in rebus iocundis viue beatus.

Tullius de senectute. Conscientia bene acte vite multorumque beneficiorum recordatio iocundissima est. Idem tusculanarum questionum libro 2. Qui mortem non timet magnum is presidium sibi ad beatam vitam comparat. Libro 5. et finali. Quid deest ad beate viuendum ei qui confidit suis bonis: aut qui diffidit beatus esse quis potest? Nec virtutes sine beata vita coere possunt nec illa sine virtutibus.

Ouidius de tristibus libro 3. capitulo 4. Uiue tibi a longe nomina magna fuge. Uiue tibi: quacunque potes prelustria vita. Effugit hibernas demissa antena procellas Lataque plus paruis vela timoris habent. Crede mihi: bene qui latitat bene vixit et intra Fortunam debet quisquis manere suam. Tu quoque formida nimium sublimia semper Uiue sine inuidia: molesque inglorius annos. Exige amicicias et tibi iunge pares. Libro 4. epistola i. Quam miserum est porta vitam murosque tueri. Uimque furtiuam viribus esse loci. aliis: Uixque sui tutum viribus esse loci. Idem de ponto libro 3. capitulo 4. Genus est mortis male viuere.

Commented [c14]: fol.18rb

Seneca tragediarum in hercule furente capitulo 2. Nouit paucos secreta quies. Dum fata sinunt Uivite leti: properat cursu Uita citato volucrique die. Rota precipitis vertitur anni. In tieste capitulo 4. Stet quicumque volet potens Aule culmine lubrico. Me dulcis saturet quies. In agamemnone capitulo 2. Nunquam placidam scepra quietem. Certumue sui tenuere diem. Ferunt celso fulmina colles. Corpora morbis maiora patent. Modicis rebus longius euum est. Idem epistolarum ad lucillum libro 3. capitulo 2. Liquere hoc scio neminem posse beate viuere nec laudabiliter quidem sine sapientie studio. Capitulo 6. Redige te ad parua ex quibus cadere non possis. Libro 7. capitulo 5. Non multum ad tranquillitatem locus confert: animus est qui sibi commendat omnia. Idem de consolatione ad paulinum: Studia optime felicitatem extollunt: et facillime calamitatem minuunt. Idem de tranquillitate animi. Si te ad studia reuocaueris: omne

vite fastidium effugies. Idem de beata vita: Uirtus malam vitam non admittit. Virtus ad beate viuendum sufficit.

Lex digestorum titulo de fideicommissis libro. I. apud iulianum: Cupiditas discendi est optima ratio viuendi.

Valerius maximus libro 7. titulo de felicitate. Giges regno lydie armis et diuitiis habundantissimo inflatus animo cum apollinem phicium suscitatum venisset an aliquis mortalium esset felicior: deus ex abdito sacrarii specu voce missa aglaum sophidium ei pretulit. Is erat archadum pauperimus sed etate iam senior: terminos agelli sui nunquam excesserat: paruuli ruris fructibus ac voluptatibus contentus: verum profecto beate vite finem apollo non adumbratum oculis sagia etate complexus est. Qua circa solerter fulgore fortune sue glorianti respondit magis se probare securitate ridens tugurium: quam tristem curis et sollicitudinibus aula: paucasque glebas pauoris expertes: quam pinguissima lydie arua metu referta: et vnum aut alterum iugum vox facilis tutele quam exercitus vel arma et equitatum voratibus impensis onerosum: et vsus necessarii horreolum nulli nimis appetendum quam thesaurus omnium insidiis et cupiditatibus expositos. Ita giges dum astipulata vane opinionis deum habere concupiuit vbi nam solida et syucera esse felicitas didicit. Anaxagoras interroganti cuidam quisnam esset beatus. Nemo inquit ex his quos tu felices existimas: sed eum in illo numero reperies: qui a te ex miseriis constare creditur. Non erit ille diuitiis aut honoribus habundans: sed aut exigui ruris: aut non ambitione doctrine: fidelis ac pertinax cultor in secessu quam in fronte beator.

Commented [c15]: fol.18va

Marcialis cocus epigramaton libro 10. Uitamque faciunt beatiorem. Iocundissime marcialis hec sunt: Res non parta labore: sed relictis. Non ingratus ager. Lis nunquam: toga rara: mens quieta. Uires ingenue salubre corpus. Prudens simplicitas: pares amici.

Ambrosius de officiis libro 2. capitulo. Uitam beatam efficiunt tranquillitas conscientie et securitas innocentie.

Augustinius in epigrammata Prosperi epigramma 65. Quietiores sunt boni quam mali. 80. epigrama. Bona conscientia tranquillum facit animum.

Prudentius de psicomachia capitulo 8. Summa quies nil velle super quod postulat vsus. Debitus vt simplex alimonia: vestis et vna infirmos recreet: tegat mediocriter artus. Expletum modum natura non trahat extra.

Commented [c16]: fol.18vb

Prosper sub vltro capitulo. Insontem vitam pacis amator agit. Contentus modicis: vitet sublimis haberi.

Cato capitulo 3. Quod nimium est fugito paruo gaudere memento. Tuta mage pupis est modico qui flumine fertur.

Claudianus libro i. Uiuatur exiguo melius: natura beatos Omnibus esse dedit siquis cognouerit vt.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 7. Continuus timor non sinit esse felicem.

Cassiodorus epistolarum libro i. capitulo i. Omni quippe regno desiderabilis debet esse tranquillitas: in qua et populi proficiunt et vtilitas gentium custoditur: hec est enim bonorum

artium mater: hec mortalium genus reparabili successione multiplicans: facultates protendit: mores extollit: et tantarum rerum ignarus agnoscitur: qui eam minime quesisse sentitur. Libro 5. capitulo 39. Illa vita vere hominum est: que iuris ordine continetur: nam beluarum ritus est sub casu vivere. Libro 11. capitulo 9. Amate vivere quieti.

Gregorius in pastorali capitulo 10. Quid est potestas culminis nisi tempestas mentis in qua cogitationum semper procellis navis cordis quatitur: huc illucque incessanter impellitur: vt per repentinos excessus oris et operis quasi per obuiantia saxa frangatur.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 28. Magnus nunquam videri studeas. Capitulo 38. Bona vita gaudium semper habet.

Uersificator fabularum esopi fabula 12. Quam timor obnubit non est sincera voluptas. Non est sollicito dulcis in ore fauus. Rodere malo fabam quam cura perpete rodi. Degenerare cibos cura diurna facit.

Hugo de sancto Uictore in didascolo in prohemio: Summum in vita solamen est studium sapientie. Idem in compendio philosophie in prohemio. Summum solamen animorum exercitatio sapientie est.